ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Splendidissime vir,

Inter tot faces tot lumina ingeniorum in triumpho principis nostri accensa, et mihi candelam meam accendere visum fuit: ne clausa taberna, et extincto lumine, in tanto patriae festo iustitium viderer agere. Pro strena huius ineuntis anni (quem tibi felicem faustumque voveo) simul hoc munusculum, quae quidem mei frugalitas est, tibi offerre potui. Tu quaeso ita existimes, nec paupertatem meam spernas. Vale. Hagae Comitis Calend. Januarii CIↃ IↃ CXLVI.

Tuae nobilitati

obsequentissimus

J. Forestus.

Hug. 37.

verte

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4237

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4237

In temperiem caeli autumnalis insolitam, mirabiliter operibus principis Auriaci in obsidione Hulstae convenientem.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ambigitur populus tune, ô dux optime, nostrae
Militiae praeses, an pater ipse deûm.
Cuncta licet summi ductoris munia praestes,
Et superos quantum saecla tulere ducum,
Da veniam, maior tamen haec regit arbiter arma,
Atq; alius tantum promovet auctor opus.
Excessisse suis miramur sedibus annum;
Atq; emota suis sunt elementa locis.
Sic natura pavet, sic rerum tota laborat
Machina, pro lauris ambitiosa tuis.
Eia age, communem secum Deus ipse laborem,
Et commune decus postulat esse sibi.
A socio tibi crescit honor, sic vincere praestat,
Dum nequit humanis viribus Hulsta capi.

J. F.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4237

Nobilissimo, strenuissimo
viro, Constantino Hugenio,
Equiti, Zulichemi toparchae,
magno principi Arausionum
a consiliis et secretis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4237